

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Sanctae Mechtildis virginis ordinis Sancti Benedicti Liber specialis gratiae

**Mechthild <von Hackeborn>
Mechthild <von Magdeburg>**

Pictavii, 1877

Caput XIII. Triplex instructio bona et utilis.

[urn:nbn:de:bsz:31-60070](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-60070)

sic anima absque meo spiritu minime vivens, velut mortua reputatur. Et sicut cor hominis tres habet meatus, unum aerem unde spirat, alium unde cibo et potu confortatur, tertium unde cæteris membris vires ministrat; sic et cor animæ tres habet meatus. Per primum spiritum meum divinum intrahit sibi, unde vivat; per secundum vero, verbo Dei, scilicet prædicationibus et aliis scripturis sanctis, velut optimo cibo confortatur; per tertium, charitatis operibus fortitudinem membris ministrat. Et quia anima membris propriis caret, Ecclesiæ membris, quæ velut sua reputat, ipsa charitatem impendat, scilicet pro justis et bonis laudes et gratiarum actiones Deo offerendo, pro mediocribus orando, ut in melius proficiant; pro malis ut convertantur; pro quolibet tribulato, ut secundum suam indigentiam consoletur; pro animabus, ut citius purgatæ cœli gaudia adipisci mereantur. •

Dei Spiritu,
verbo et
opere
vivit anima.

CAPUT XIII.

TRIPLEX INSTRUCTIO BONA ET UTILIS.

ITEM cum in oratione, Deo pro operibus nostræ redemptionis gratias ageret, pervenissetque ad illum articulum ubi gratias agit quod pro nobis baptizari dignatus est, dixit ei Dominus: « Ego te volo baptizare. » Statimque rivus magnus de Corde Dei cum impetu erumpens, animam ejus abunde perfudit. Et Dominus adjecit: « Ecce ego volo esse commater tua, et sicut commatres instruunt filias suas spirituales, ita et ego te tria docebo. Primum est, ut omnia quæ pateris adversa tam mentis quam corporis, non tibi sed mihi, ac si ego in te omnia sustineam, patiaris. Secundum est, ut omnia bene-

Quidquid
sibi evenit
anima
Christo
adscribat.

ficia hominum sive ministeria, cum hilaritate et gratitudine suscipias, ac si non tibi sed mihi ab eis impendantur. Tertium est, ut totaliter mihi vivas, ita ut omnia opera tua non tibi sed mihi adscribas, ac si nihil aliud sis quam vestimentum quo ego opertus, omnia tua opera in te peragam et disponam. »

CAPUT XIV.

QUALITER HOMO CHRISTI CONVERSATIONEM SIBI USURPET.

INTER Missarum solemnia, dum pigra esset et dormitaret, cum mœrore negligentiam suam Deo est conquesta; cui ille respondit: « Si nil invenires in te quod tibi displiceret, in quo bonitatem meam in te recognosceres? » Tunc illa recordata est hominis cujusdam, quem sciebat contristatum; pro quo dum orasset, et competens a Domino responsum accepisset, inter alia multa Dominus dixit: « Et quare homo nollet accipere quod tam paratus sum illi offerre? Omnem denique sanctissimam et innocentissimam conversationem meam qua vixi in terris, libentissime illi do, ut eam sibi assumens, omnia quæ ei desunt, ex meo suppleat. » Cui illa: « Si, inquit, dulcissime Deus, tantum placet tibi ut homo tua usurpet, mihi dic, rogo, qualiter homo hoc faciat. » Respondit: « Ut omnia desideria sua, intentionem atque orationem in unione desideriorum et orationum mearum offerat Deo Patri; tunc in tanta acceptatione ascendit coram Deo, eritque omnino unum, velut si diversa aromata simul accensa, quorum fumus in unum collectus cœlum directe ascendit. Sic oratio illa quæ in unione orationis meæ offertur, in similitudine optimi odoris

Omnia
in unione
Christi
agamus.